



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Aliquando ob bonum pacis instaurabatur iudicium sedis apostolicæ.
quod differt ab appellatione. Synodus Arelatensis indicta in causa
Cæciliani, post iudicium Concilij Romani, ut Donatistis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Bonifacius delatus esset inter reos, à Concilio futuro discutiendus; & ideo in causa ecclesiastica hoc remedio contra futura gravamina sibi profpexerunt, ad cautelam, ut dicebat Guillelmus de Plesleyano.

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. De appellationibus à Papa ad futurum Concilium. Quae aliena à vetere disciplina. Non provocatur à sententia Patriarcharum, in causis privatis. Communes definiti non poterant sine sententia sedis apostolicae; à qua non appellabatur.

II. Aliquando ob bonum pacis instaurabatur iudicium sedis apostolicae. quod differt ab appellatione. Synodus Arelatensis indicta in causa Cæciliani, post iudicium Concilij Romani, ut Donatistis satisficeret. Cangiuebantur causam non plenè audiam. Secunda cognitioni interfuerunt primi iudices; contra morem appellationum. Explicatus Augustinus; facti speciem recitat, non verò regulam prescribit.

III. Iudicia aliquot renovata, post Romanae sedis sententiam. Quod aliquando tamen fieri noluerunt Summi Pontifices. In octava synodo definitum fuit instaurandam esse cognitionem adversus Phorium post iudicium Concilij Romani. Reluctantibus Legatis sedis apostolicae.

IV. Post seculum nonum, graves causae disceptatae à Pontificibus in numerosis Conciliis. Praecipue si ageretur de Sacerdotij & Imperij Concordia. ubi aderant Clerici & laici; è Gregorio VII. & Gelasio II. Innocentius III. gravem controversiam decidere non audeat absque definitione Concilij.

V. Inde manavit mos ille appellandi ad futurum Concilium. Hoc remedio primus omnium usus fuisse videtur Fredericus II. Imperator. Concilium generalius Lugdunensis provocavit. Responsio Innocentij IV. è Mattheo Paris.

VI. Martinus V. vetuit has appellationes, è Gersono; qui scripsit constitutioni non esse locum in causis fidei. Pius II. eas quoque prohibuit. Galli exceperunt causas fidei & manifeste everfionis canonum.

VII. De formula disjunctiva appellandi, ad Pontificem, vel ad Concilium. Quo sensu dixerint interpretes appellandum à Papa ad Papam. Melius Ivo, qui à sede ad ipsam sedem confugiendum dixit. Quo sensu dixerit Vlpianus appellari à rescripto Principis. Expense rationes cur in antiquis formulis disjunctivè ad Papam vel ad Concilium appellatio conciperetur.

VIII. Quenam sit Du Vallij Theologi in hac questione sententia; quòque remedium illi substituat.

I. SUPERIORE capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam investam ab iis qui se Romanae curiae censuris premi existimabant, scilicet appellationem à Papae decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admilla fuit provocatio à Papa ad Concilium; licèt aliquando, remedio quodam extraordinario, sedis apostolicae iudicium in majori synodo instauratum fuerit. Quod illi

facile concedent quibus perspecta est antiqua disciplina, quae causarum divisione iudicia synodorum distinguebat. Illae enim vel privatae erant, vel communes, quarum discrimen explicamus in diatriba de synodis, tomo secundo. Privatae ita synodorum Patriarchalium iudicio finiebantur, ut nullus appellandi superesset locus, neque Imperatoris adeundi, aut synodi universalis interpellandae; ut docet Iustinianus, juxta constitutum Secunda Synodi Oecumenicae. Cur ergo denegabitur apostolicae sedi quod veteres omnibus Patriarchis asseruerunt? Aliud dicendum de causis communibus, quae juxta mores antiquos rectè constitui non poterant aëv γράφω; sine sententia Summi Pontificis, ut observavit olim Sozomenus. Quo sensu intelligendus est Gelasius, cum ait: *Ipsi sunt canonones qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sanctae sedis examen deferri voluerunt, ab ipsa verò nunquam appellari debere sanxerunt.*

II. Aliquando tamen, ad procurandam Ecclesiae tranquillitatem, Imperatorum rescripto apostolicae sedis iudicia in majore synodo instaurari contigit; in qua per Legatos Romanus Episcopus intererat. Quae ratio longè differt ab appellatione. Ut enim, inquit Hermogenianus Iurisconsultus, *appellatio iniquitatis sententiae querelam, in integrum verò restitutio erroris proprii veniae petitionem, vel adversarij circumventionis allegationem continet.* Deinde iudex à quo appellatur, de appellatione non cognoscit, sed is à quo supplicatur, instauratum iudicium peragere potest. Ejus cognitionis antiquissimum exemplum habetur in causa Cæciliani Carthaginensis, quae iudicio Concilij Romani sub Melchiade decisa, iterum peracta est in Synodo Arelatensi à Constantino coacta anno cccxiv. eo colore quaesito à Donatistis, quòd lite nondum plenè instructa iudicium nimis properè latum esset, ut constat ex epistola Constantini ad Chrestum Syracusanum Episcopum, apud Eusebium. Alienum putabat Constantinus à disciplina, res ab Episcopo Romano iudicatas refricare; sed studio pacis restituendae, instauracionem iudicij in frequentiore synodo Donatistis permisit. Hoc habemus ex ipsius epistola ad Vicarium Africae: *Et contra id quod iidem responderam, inquit, frustra eos id iactare, (nempe Cæcilianum esse fontem) quippe cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminata, obnixè ac pertinaciter respondendam existimaverunt quòd eorum omnis causa non fuisset audita, sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsi aptum, iudicassent. Quare cum haec tot & tanta nimium obnixas diffensionis protrahere*

L. 26. c. de episcopi audientia: Nam contra bonum antistiti sententia non esse locum appellationi; & majoribus vestris constitutus est. Nov. 137. Can. in v. Secunda Syn. Phorius tit. ix. Nemocten. c. vi. Apud Grat. c. causa. c. Ipsi sunt. q. 1.

L. Praefati. 17. ff. de minorib.

Euseb. l. x. hist. c. 5. τὸν αὐτὸν ἐξέτασαν.

viderem, ita ut nullomodo finis iisdem dari posse videretur, scilicet nisi novo iudicio de causa Cæciliani cognosceretur, Synodum Arelatensem indicit. A qua non reiecti sunt iudices qui sententiam Romæ tulerant, ut fit in iudiciis appellationum, sed quemadmodum fieri solet in iudiciis supplicationum, ipsi cum aliis denuo cognitionem susceperunt. Extant enim subscriptiones Legatorum ex urbe Roma à Silvestro Episcopo missorum, Marini quoque, Reticij, & Materni Gallie Episcoporum, in Actis Synodi Arelatensis, unâ cum subscriptionibus ceterorum Episcoporum qui ad illud Concilium convenerant. Quod factum observavit Augustinus his verbis: Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ iudicaverunt, non bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenarium universalis Ecclesie Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si malè iudicasse convicti essent, eorum sententia solverentur. Quibus verbis rem gestam describit, id est, secundam Synodi Arelatensis cognitionem, post Concilium Romanum, non autem regulam præscribit qua in omnibus causis uti liceat, nempe instaurationem omnium iudiciorum apostolicæ sedis in synodo universali, quemadmodum plerique contra veterum sententiam sibi persuaserunt.

III. Sanè in dissidio Orientalium, Concilium Sardicense indictum est: in quo iudicium adversus Athanasium refricatum fuit, post damnationes in illum à Conciliis Tyrio & Antiocheno decretas, & post admissam Athanasij à Iulio in Concilio Romano communionem. Quod etiam factum in Concilio Chalcedonenfi erga Theodoretum, etsi Leo primus illi in communionem suscepto episcopatum restituisse. Attamen causam Acacij, iterato iudicio in Synodo Oecumenica, discuti passus non est Gelasius, neque ceteri Pontifices, quamvis schismate eam ob rem violata esset unitas Ecclesie: quæ sub Iustino Principe restituta est, cedentibus Græcis auctoritati Romanæ Ecclesie. Rationem discriminis assignamus in exercitatione de iudiciis canonicis Episcoporum, tomo secundo. [*Vide librum septimum.*]

Græcorum tamen obstinata petitio præmittenda non est, qui seculo nono iudicium contra Phorium & ejus asseclas à Nicolao I. toties damnatos instaurari voluerunt in Octava Synodo, reluctantibus licet Romanæ Ecclesie Legatis. Etenim Baanes Patricius & ceteri proceres à Basilio Imperatore delegati ut synodo intercessent, se Actis synodi non subscripturos, ut fieri solet, professi sunt, nisi præsentis Photij & ejus sectatorum ex synodicis & canonicis

sanctionibus ora obturarentur. Metrophanes Smyrnæ Metropolita eam petitionem suffragio suo juvit, verbis erga Romanam sedem permodestis, & ad propositum suum accommodatis: *Divinus Apostolus dicit: Prophetas nolite spernere, quod bonum est tenete. Sanctissimos veteris Romæ Legatos tanquam Prophetas recipimus, neque spernimus. Probantes verò magnificentissimorum procerum petitionem, æquam esse iudicamus.* Statim verò Concilium definivit iudicium refricandum esse: *Statuimus ut illi citentur, ac præsentis facta defendendi potestate iudicentur.* Legati quidem repulerunt hanc definitionem synodi, sibi liberum non esse dicentes Romanorum Pontificum iudicia rescindere; ex eo præsertim, quòd præsentibus Photianis Romæ reddita fuissent. Sed discusso negotio, reorum exceptiones repulsa sunt, & renovata in Phorium ejusque consortes damnationis & anathematis sententia.

IV. Hinc factum existimo ut seculo decimo & aliquot sequentibus Pontifices Romani ad vitandas offensiones, exemplo decessorum, causas communes in Conciliis frequentissimis discuti voluerint; adeo ut si qua inter sacerdotium & regnum gravis quaestio incideret, ad Concilium eam referri vellent, quò Reges & Principes evocabant. Eam viam inivit Gregorius VII. qui recrudescente dissidio inter Romanam Ecclesiam & Henricum Germaniæ Regem anno MLXXX. testatur se curaturum ut generalis synodus congregetur in loco tuto & securo, sicque opportuno, ut ad eum possint undique terrarum, clericalis ordinis & laicalis amici vel inimici sine timore convenire; ubi discutendum ait quis auctor fuerit ne inter pontificatum & regnum divina pax & recta concordia fieret: quam pacem optulante Domino, sicut Christiana devotio cupit & postulat, in eodem Concilio instaurare & confirmare optamus. Gelasius II. in eodem dissidio, Concilij generalis remedium adhibendum esse docer anno MOCXVIII. his verbis: *De controversia qua inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni vel iustitia libenter acquiescimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremona, in proxima B. Lucae festivitate, fratrum nostrorum iudicio, qui à Deo iudices constituti sunt in Ecclesia, & sine quibus hæc causa tractari non potest.* Liberalius se gesserat Gregorius VII. qui in causa mixta, quæ sacerdotium & regnum respiciebat, ex Clericis & laicis Concilium conflare volebat, cum Gelasius videatur ad solos Episcopos hanc cognitionem contrahere. Illis tamen iudicandi auctoritatem defert: quia etsi de singulis negotiis & causis privatis suprema iudicia à

Aug. epist. 162.

Vide lib. 7. cap. 10. §. 3.